

A

PSALMUS XXXI.

Scriptus hic Psalmus in fuga propter Saulem, secundum *Kimchium*.

EXPLICATIO VERSUS II.

חֲסִיתִי *speravi*:) similis locutio adfuit *Psalm.* VII, 2. XVI, 1. XXV, 20. & redibit infra *Psalm.* LXXI, 1.

אֵל אֲבוֹשָׁה *ne erubescam*:) h. e. ne permittas, quæso, me spe mea excidere, atque sic pudibundum ab hostibus meis deludi. Nam, *Erubescere* est speratō laboris vel conatus sui exitu frustrari; item adeo contumeliosè tractari ab aliis, ut aliquem suimet pudeat; v. g. *Pf.* xxxvii, 19. pii non pudefient in tempore malo, in diebus famis saturabuntur. vide *Psalm.* VI, 11. XXII, 6. CXIX, 116. *Mich.* VII, 16. Deinde per metonymiam effectus pudeferi ponitur pro incidere in calamitates hostiumve manus, quippe quæ non postrema erubescentiæ causa esse solet. Sic *Letari* ponitur haut rarò pro liberari, vel fausto frui statu, ut *Psal.* LXX, 5. &c.

לְעוֹלָם *in seculum*:) i. e. ne unquam me pudeferi permittas. Sic enim nomen **לְעוֹלָם**, præcedente particula negandi, exponendum venit, ita ut (*non in seculum*) idem valeat ac, ne unquam. unde & Lutherus: *nimmermehr*. Campensis: *fac quæso, ne unquam pudefiam spe mea frustratus*. Posses tamen & hoc modo reddere: ne Domine pudefactionem hanc meam præsentem finas esse perpetuam. Quam debile autem sit argumentum Beza (*p. 2. resp. ad acta coll. Mompelg. p. 82.*) ex hoc textu pro fidei apud renatos perennitate, ac si eam amittere nequeant, *dum in aeternum non pudefiant*, disquisivit Hakspan. *annot. b. l. p. 129.*

בְּצִדְקָתְךָ *per justitiam tuam*:) h. e. quandoquidem justum apud te est, sperantibus in Te, promissam exhibere gratiam, ideoque & me in te sperantem jam eripe. *Justitia* enim Dei non semper significat strictam ac judicalem juxta cujusque opera retributionem, sed sæpe etiam beneficentiam gratuitam, promissis atque exemplis præcedentibus conformem, ceu *Jes.* LIV, 17. hæc est hæreditas piorum, & justitia (i. e. benignitas) eorum à Domino &c. vide *Pf.* V, 9. xxii, 32. xxiv, 5. xxxv, 24. LXXI, 1. Hinc etiam *Vatablus* hoc loco justitiam accipit de fide Dei, qua suos tuetur, qui se ejus præsidio committunt, &c. Deinde **וְאַתָּה** aptè hoc loco redditur à *Luthero*: *durch*, ita ut designetur causa liberationis impulsiva; quomodo *Deut.* IX, 5. dicitur: non בצדקתך per (vel propter) justitiam tuam ingressus es, &c. Quare & *Muis* hoc loco pro ea justitia, qua præstando fidem tuis datam, justum te esse probas. *Kimchi*: *injustitia tua, non mea*.

עֲרִיפוּ *eripe me*:) graviter scilicet variis oppressum miseris, unde nullum datur emergendi spatium vel robur. sic enim verbum hoc **עֲרִיפוּ** *evafu*, in piel valet, *evadere fecit*, constrictum scilicet arctis miseriarum aut periculorum angustiis, ceu *Psal.* XXII, 9. de Messia patiente. item *Pf.* LXXXIII, 4. xvii, 13. &c.

EXPLICATIO VERSUS III.

הִטָּה *inclina aurem tuam*:) i. e. promptus ac benignus exaudi meam supplicationem. anthropop. qualis *Psal.* X, 17. xviii, 7. *Psal.* LV, 2. &c.

מְהֵרָה *festinanter*:) antequam scilicet hostes mei prorsus me supplantent, auxilioque postmodum non amplius sit locus. Nomen hoc **מְהֵרָה** *festinatio*, cum præfixo (ב) adverbiascit, ita ut (*in festinatione*) sit, festinanter, ceu *Cob.* IV, 12. quandoque tamen etiam sine (ב) hunc adverbii sensum obtinet, ceu *Num.* XVII, 11. *Deut.* XI, 17. *Cob.* VIII, 11. *Psal.* XXXVI, 2. *Jes.* V, 26. &c. vide *gramm.* p. 149.

לְצוּר *in petram*:) h. e. esto tu meum refugium tutissimum, ubi securus delitefcam contra quasvis hostium incursiones ac fraudes, non aliter, ac fugitivi tempore belli tutò delitefcunt in cavernis petrarum, vel in munitionibus, super petris inexpugnabilibus extractis. vide *Psal.* XVIII, 3. 47. XIX, 15. XXVIII, 1. Litera (ל) inservit verbo **הָיָה**, quod hoc modo constructum exponitur per *Fieri*, q. d. fias mihi petra, ut *Exod.* IV, 4. וַיְהִי לְמִטָּה factus est baculus: *vers.* 9. **לְרַגְלֵי** *sanguis*.

בְּרוּרֵי *roboris*:) h. e. petra robusta. posterius namque substantivum vices gerit adjectivi. Ipsum verò **בְּרוּרֵי** in genere significat *robur*, v. g. Pharaonis, *Jes.* XXX, 3. (ab **בְּרוּרֵי** *robustus fuit*), speciatim sumitur pro *Fortalicio* vel arce robusta, ceu *Nabum* III, 11. *Ezech.* XXX, 15. &c. vide *Psal.* XXVII, 1. XXVII, 8. Frivolè *Capellus* ex collatione loci hujus cum *Psal.* LXXI, 3. suspicatur fuisse mendum, ita, ut pro **בְּרוּרֵי** legendum sit **בְּרוּרֵי** *habitaculum*; cui satisfactum à *Buxtorfio anticr.* p. 379. seq. & *Drusio*, *quest. per epist. n. 82.*

מִצְדוֹרֵי (in domum) *munitionum*:) h. e. esto mihi domus vel habitaculum munitissimum. Descendit hoc nomen **מִצְדוֹרֵי** à masculino **מִצְדָּר** *arx*, qualis erat illa Davidis in Zion, *i. Chron.* XI, 7. ac proinde in fœminino quoque de simili usurpatur arce Davidis montana *2. Sam.* V, 7. 9. item de propugnaculo Davidis fugitivi in deserto *1. Sam.* XXIV, 22. (vide *ib.* *vers.* 1. & 2.) & procul dubio ad ejusmodi propugnaculum alludit & hoc loco David, utut propugnacula mea contra vim hostium satis videantur munita arte bellica, attamen his ipsis non confido; Te Deum namque unicè agnosco meum propugnaculum, &c. vide *Psal.* XVIII, 3. LXXI, 3. XCI, 2. CXLIV, 2. *Aben Esra* hoc loco exponit de **מִצְדוֹרֵי** *loco excelso*, ubi non metuendum ab hoste.

EXPLICATIO VERSUS IV.

בְּרֵי *petra mea*:) h. e. ad te, quando hostis me persequitur, confugio, tanquam ad præaltam quandam invictamque rupem, quorsum vis hostilis penetrare nequit. metaphora petitur ab inexpugnabilibus illis Cananæ rupibus, quæ ob præcipitia, difficilemq; aditum, turas præstant latebras non solum fugitivis, sed & quandoque latronibus, ceu patet ex historia Herodis, tales petras fumâ industriâ ac stratagematibus expugnantis; *Joseph.* l. 14. *A. Jud.* c. 27. Confer *Jud.* VI, 2. ubi Israëlita contra Midianitas irruentes in montibus sibi parant **מִצְדוֹרֵי** *מערות*. Item *Jes.* II, 10. & *Jer.* XLVIII, 28. *linquite urbes, & habitate in pe-*